29

Elisabeth Venceslai secundi Bohemiae regis filia, quam Henricus rex Bohemiae captivaverat, evadens captivitatem Nembergam confugit.

Berengarius quidam senex sacerdos Regis quondam Venceslai Bohemiae servitor prolem Regiam Elisabeth, videlicet virginem et Domini sui filiam male tractari et in captivitatis custodia asservari dolens, eam Visschegradensi Praeposito, quem Venceslaus Rex ex concubina susceperat adjuvante, à captivitate solvit, et solutam in oppidum Nemburg super Albam positum deduxit, quae Civibus ejusdem oppidi convocatis, quae esset et qua necessitate impulsa in eorum fidem confugisset, aperit, ac demum ad eos concionata multa beneficia patris sui Civitati ymestita, quod eam ex vico rustico in Civitatem haud contemnendam erexit, quod eam muro forti cinxerit, quod eam pluribus libertatibus et privilegiis insignem famosamque reliquerit ac demum suos casus et Henrici Regis Bohemiae crudelitatem in se depromptam commemorat, et quod duabus sororibus suis alterae Henrici Regis praedicti, alterae Boleslai Glogoviensis Ducis felix

et faustum

et faustum conjugium sortitis sibi indignitatem conjugii, quam illam Henricus rex suscipere compellabat aspernanti, in libertate, et perpetuo castitatis voto consistere non liceret, orans, ne se in eorum presidium confugiente excluderent, ne patris beneficia in ea mori et extingui sinerent, ne quoque eam in ludibrium conditionis sue et generis vagari per ceteras regiones paterentur, omnium autem animis hujusmodi oratione in misericordiam conversis cura ejus à Civitate suscepta est, et omnis securitas atque fidelitas illi repromissa. Ea autem illic existente cepit ad illam Baronum Bohemie, eorum presertim, quos Henricus Bohemie rex in ipsis aut cognatis violaverat, fieri concursus, ubi et frequentes tractatus de abrogatione Regni contra Henricum habiti sunt. Ex quibus nec in Praga quietus passus est consistere. Sed ab his qui partes Elisabeth ab eo deficiente querebantur pluribus insultibus per Castri Pragensis, in quo residebat, impugnationem, eo etiam inspectante lacessitus. Omnium etenim Bohemorum ad novandum res, quamprimum se occasio offert, aut lucri vel livoris respectus suggerit, animus est naturaliter proclivus.